UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Svmma Diana

Diana, Antonino

Coloniae Agrippinae, 1656

Filius

urn:nbn:de:hbz:466:1-40647

Visual Library

*more Iudæorum. Non tamē veſtibus per ſe ordinatis ad cultum falſa ſecta.*

admodum verbis, vel ſignis æquiuocis poſſumus ad libitum vti vel pro principali ſignificato, vel pro alio, etiamſi ab audiente aliter intelligatur, & hoc ad occultandum ſecretum; Ita in caſu noſtro, *par 3 tr 5, reſ 49.* & iterum referendo *in part. 7 reſol.* 33. Plus addit Sanchez *c.4. num* 10. nimirum licere vti veſtibus, per ſe primo deputatis ad ſuperſtitioſum cultum alicuius falſæ ſectæ, nam ſemper retinent communem aptitudinem tegendi corpus, ad quem finem poteſt quicumque illa vſurpare, contempta quacumque alia hominum inſtitutione, & deceptione, etiam ſi inde ſequatur ſcandalum. Hæc opinio eſt probabilis, ſed contraria Suar. *de fide diſp.* 14. *ſect* 5. *num.* 12. probabilior *reſ.* 49 *cit. § Sed plus* & referendo poſtea in *part.* 5 *tract.* 7. *reſ* 34.

*Sed an liceat fingere falsā ſectā vtendo illius cærimoniis cū certis cautelis? Lorca affirmat.*

10 Nota hic ex Lorca *in 2. 2. qu. 6. diſp.* 24. *num.* 4. licere etiam falſam Religionem fingere vtendo cærimoniis, quibus illa vtitur in ſuo cultu, non quatenus talibus, ſed ob alium finem, & iuſtam cauſam etiamſi fiant ad hoc, vt videntes credant, illa vſurpari, vt cærimoniæ illius Religionis. Dummodo tales ſunt, vt ratio cultus ab ipſis ſeparari poſſit: ſecūdò, vt abſit ſcandalum: & tertiò ne tali vſu obſcuretur confeſſio fidei debita. Ratio autem eſt; quia hæc non eſt, niſi ſimulatio, aut potius diſſimulatio. Sed an hæc opinio ſit probabilis, alij iudicent: nam illam nouiſſimè impugnat Coninch *de fide diſp.* 14. *dub.* 3. *num.* 28. † Et damnauit Sacra Congregatio S. Officij. Et ſanè ſcandalum in hoc caſu ceſſare non poteſt.

*Sed Coninch negat.*

*Licet autē in bello eligere vexillū Turcarum cum ſigno Mahometis.*

* Licitum tamen eſt in exercitu, vel claſſe conſueta Turcarum vexilla erigere, etiamſi eſſet ſignum Mahometis. Ita Tannerus *in 2. 2 quæſt. 3. art.* 2 *diſput* 1 *quæſt.* 7 *dub* 120 contra Azor. *tom.* 1 *lib* 8. *c.* 27. *quæſt.* 6 *part.* 3 *tr* 5. *reſ.* 49. *§ Notandum eſt etiam* Licitum etiam eſt ex dictis, vt plurimū comedere cibos vetitos in terris hæreticorum, & infidelium ad euitandum graue damnum, dummodo abſit ſcandalum & præcepti Eccleſiaſtici contemptus. Nam ſignum ciborum, licet aliquo pacto fideles diſtinguat ab infidelibus, non eſt tamen inſtitutum ad falſæ fidei profeſſionem. Ita Sanchez *cap.* 4. *num.* 25 *part.* 5 *tract.* 7. *reſ.* 35 Imò Duuall. *in 2. 2. de fide quæſt.* 3. *art.* 2. *concl.* 2. aſſerit Catholicos Angliæ veſcendo carnibus in Quadrageſima, & in diebus Veneris, non peccare, quamuis talis eſus fuerit introductus in proteſtationem Euangelicæ libertatis. Cuius rationes videbis apud ipſum *part.* 5. *tr.* 7. *reſ.* 33. in fine *. Sed in nullo pacto admittendum eſt *. An verò liceat ex graui metu idolum Ethnicis, & ſynagogam Iudæis conſtruere, agnum vendere, &c. vide V. *Peccato cooperari, à num.* 7.

*Et comedere cibos vetitos apud hæreticos, & infideles ad vitandū graue damnū.*

*Niſi alicubi vſus taliū ciborū introductus ſit in proteſtationem hæreſis, vt in Anglia.*

---

## FILIVS.

*Filius gaudet priuilegio patris.*

1 Filius plebei adoptatus à viro nobili non gaudet nobilitate, ſicut qui à patre nobili, & matre ignobili natus eſt. Diana *part.* 9 *tract.* 7 *reſ.* 83.

*Secus de plebeio adoptatus.*

2 Filius Ciuis natus antequam pater in numero Ciuium ſit adſcriptus, gaudet patris priuilegio, *p.* 8. *tr.* 7 *reſ.* 39.

*Non tenetur ſoluere mutuum à patre acceptum.*

3 Filius non obligatur in conſcientia ſoluere pecuniam mutuò acceptam à Patre. Valerus, etiam ſi mutuum ſit verſum in vtilitatem pupilli. Eſcobar. *part.* 8. *tract.* 7. *reſ.* 7. *part* 9. *tr.* 9 *reſol.* 13.

*Filius pauper debet petere alimēta à filio diuite, & nō à patre.*

4 Filius pauper habens patrem, & filium diuites debet à filio petere alimēta, & non à patre: Sicut habens patrem, & filium pauperes in extrema neceſſitate potius patri, quàm filio tenetur ſubuenire. Machad & alij *par.* 10. *tract.* 13. *reſol* 3.

---

## FORNICATIO.

*Fornicatio quid?*

1 * FORNICATIO eſt ſpecies luxuriæ, & definiri poteſt. Concubitus hominis ſoluti cum muliere ſoluta. Eſt peccatum mortale. Ait enim Apoſt. lu *ad Epheſ.* 5 *Omnis fornicator non habet hæreditatem in Regno Chriſti.* * Dari tamen poteſt de ea ignorantia in-

*An ſit mortale?*